

etiam responderi potest, ut scilicet verba textus significant violentibus juramentum per metum extortum, etiam in materia gravi, minorem poenam esse infligendam propter circumstantiam metus, quamvis in rei veritate graviter peccent, et sic dicendum est metum in specie hujus textus culpam transgressionis efficere leviolem, non tamen exinde sequitur, venialem solum, non vero mortalem culpam contrahi, quamvis libenter fateamur levius peccatum mortale resultare, stante circumstantia metus, illa namque deficiente, longe gravius esset. » Collect. DD. in 2, Decret., cap. Verum n. 3 et 4.

« Dicendum, addit Gonzales, in hoc textu, Verum, neutiquam doceri, pejerantem etiam juramento metu praestito, non peccare lethaliter, sed tantum non esse illi poenitentiam eam injungendam, quae imponeretur pro alia culpa mortali; siquidem non ita severius agendum est cum illo, qui per metum praestito juramento, illud fregit, ac cum eo, qui voluntarium violavit juramentum, quia propter metum temperatur poena. » Ad cap. 8, ex de jurejur., n. 8.

(75. Eadem plane, ac suorum praedecessorum, fuit mens Clementis III, ut in cap., Ad aures, ex. de iis, quae vi, metusque causa fiunt, cujus haec sunt verba: « Tuae discretionis praesentibus innotescat, quod renuntiatio facta ab electo ad plebanum Ecclesiae ad terrorem laicorum, nisi forte juramento vel fide interposita sit confirmata, non impedit quominus is, qui renuntiavit Ecclesiae ad cuius regimen prius erat electus, praeficiatur eidem. »

Ex hac exceptione, nisi forte juramento, Glossa colligit: « Ergo si juramentum intervenisset, vel fides interposita fuisset, quod ulterius non repeteret, non potest eam repetere, juramento vel fide obstante, quod potest servari sine interitu salutis aeternae. » Apud Nat., Alex., Theol. dogm. mor., de juram., reg. 9.

(76. Neque praedictis obstat quod votum, si fiat ex metu gravi sive injuste incusso, sit invalidum, ut ex communi. Nam disparitas adest, ut ait Abbas in cap., Si vero, ex. de jurejur. Quippe cum juramentum frequenter interveniat in actionibus hominum, aliter de eo quam in voto statuendum, ne detur materia allegandi metum sicque pejerandi, ablegata religione juramenti, quo fides humana constabitur, Deo in testem invocato pro aliquo implendo. Haec vero ratio non militat in voto, utpote quod raro emittitur, et eo magis ex can., Non est. 15, q. 1, ubi dicitur: « Voluntarium sibi militem elegit Christus. »

Unde talia vota facta ex metu injuste incusso invalida sunt, vel quod ea jus irritet, vel Deus non acceptat, ne detur locus injustae coactioni.

(77. Quæritur « an matrimonium metu contractum, si firmetur juramento, reddatur validum? Aliqui dicunt ratificari saltem in foro conscientiae. Caeterum tanquam certum tenendum est hujusmodi matrimonium non esse validum juramento. Probatur ex cap.

2, ex de eo, quid duxit in matrim., ubi expresse habetur eum, qui post matrimonium metu contractum et juratum, aliam duxit, permansurum cum secunda, priusque matrimonium fuisse invalidum. Ratio est quia matrimonium coactum prohibetur ob publicam utilitatem, eo quod alioquin male servaretur pax inter conjuges et in republica, maleque soboles educaretur; at contractus vetitus ob publicam utilitatem non firmatur juramento. » Sanchez de matrim., disput. 20, num. 12.

Hinc Barbosa ad cit. cap. 2, significavit, ex de eo qui duxit in matrim. sic habet: « Notatur ad hoc, quod juramento non efficitur validum matrimonium metu contractum. Nam juramentum adjectum matrimonio metu gravi extorto non obligat, nec indiget relaxatione num. 5. »

Notandum ea, quae hucusque exposuimus de juramento per metum extorto procedere in foro conscientiae; « quia in foro externo, ubi praesumitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum. » D. de Ligorio de juram. n. 174. — « Et ideo tale juramentum, metu extortum, minime obligare, nec indigere relaxatione, sustinent Vincentius, Felinus, et in praxi apud iudices saeculares haec sententia est recepta, ut testatur Covarruvias. Ita Sanchez de matrim. lib. iv, disput. 20, n. 3. Juramentum per metum celebratum obligat in foro interiori, non exteriori. » Barbosa Repert. jur. can. et civil. v. Juramentum.

(78. Quæritur utrum pactum, vel contractus de jure nullus confirmetur per juramentum?

« Respondit ita Engel in hac quaestione esse distinguendum, an contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu, vel dolo inito; vel an contractus tantum invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, rei ad minorem pertinentis, et similes. Priori casu non confirmabitur contractus, sed ipsum tantummodo juramentum servandum erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vane et temere in testem vocatus sit, imo post impletum juramentum repetitio ejus, quod ex tali juramento praestitum est, conceditur, c. Debitoribus 6, h. tit. c., ad audientiam 4, de his quae vi, metusque causa fiunt. Altero casu mihi videtur probabilis, ipsum contractum juramento firmari, ut ex text. Quamvis 2, de pactis in 6, satis apparet. Ad Tit. 24, ex. de jurejur., n. 12 et 13.

« Contractus jure humano caeteroquin irritos, confirmari juramento probatur ex textu satis claro, c. quamvis pactum, de Pactis in 6, ubi dicitur: « Quamvis pactum, en verba textus, patri factum a filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis; si tamen juramento, non vi, nec dolo praestito firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debet, cum non vergat in aeternae salutis dispendium, nec redundet in

« alterius detrimentum. » Ubi patet non juramentum duntaxat decerni servandum, sed etiam ipsummet pactum, utpote de quo loquitur textus, cum dicit juramento firmatum, subditque omnino servari debet. » Reiffenst. ad tit. 24 ex. de jurejur., § 4, n. 119.

Hoc pacto in l. 1, cod., Si adversus venditionem, dicit imperator juniorem qui adversus venditionem rei suae juratae venit, non tantum perjurium, sed etiam perfidiam committere; si perfidiam, ergo supponitur, non tantum juramentum, sed etiam fidem datam et pactum valere. Engel. l. cit., n. 13. Lubet hic verba legis referre: « Si minor annis viginti quinque emptori praedii cavisti nullam de caetero te esse controversiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter praestito servare confirmasti, neque perfidiae, neque perjurii me auctorem tibi futurum sperare debuisti. »

(79. At Tamb., Elhel., Fel., Potest., alique, quibus D. de Ligorio accedere videtur, tenent juramentum nequaquam confirmare contractus jure positivo rescindibiles, aut invalidos. Audiamus Fel. Potest., in haec verba scribentem: « Prima sententia affirmat juramentum confirmare contractus, ita ut duas obligationes inducat, religionis et justitiae commutativae, taliter quod, si contractus est validus, sed rescindibilis, non possit rescindi, nisi prius relaxato juramento; si est jure positivo invalidus, eum reviviscere faciat, reddatque validum et transferentem dominium. Adducunt exemplum: alienatio fundi dotalis facta ab uxore est jure positivo invalida, si autem uxor addat juramentum, fit valida, ita ut etiam juramento relaxato, adhuc tenetur uxor ex vi justitiae stare alienationi, nisi post relaxationem juramenti, etiam ipsa alienatio a iudice rescindatur. »

« Secunda sententia, quam teneo, negat. Dico igitur juramentum nullum confirmare contractum; ac proinde contractui jure positivo invalido, aut valido, sed rescindibili, solum addit obligationem religionis, minime justitiae commutativae, nec transfert dominium. Et in juramento relaxato non tenetur amplius uxor stare alienationi fundi dotalis. Ratio est, nam juramentum id non habet ex se, nec ex jure. Non ex se, quia est accessorium (contractus), adeoque contractum relinquit, ut est in se. Non ex jure; quia jura canonica quae adducuntur expresse nil aliud dicunt, nisi quod servari debeat si sine dispendio aeternae salutis servari possit. Quod optime verificatur, si juramentum servetur ex vi religionis; et onus justitiae cum sit odiosum, non est sine expresse jure praesumendum. Adde plura jura expresse dicere praemissos contractus esse servandos in reverentiam juramenti. Ex his sequitur non dari juramentum confirmans contractum. » In 2, Praecept. Decal. de juram., n. 1638, 1639. Haec quidem sententia sua non caret probabilitate.

(80. Quæritur an juramentum contra leges civiles earumque prohibitionem fa-

elium, obliget? Cum lex civilis principaliter fundatur super bono publico, tunc juramentum de praestando actu per eam prohibito non obligat. Ratio est quia pactis et juramentis privatorum juri publico, renuntiari non potest. Siquidem nemo renuntiare potest ei, quod pro se non est introductum, prout dicitur ipsum lumen naturale. Quinimo juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, si servetur, vergit in dispendium salutis aeternae, hoc ipso quod sit contra jus alterius, sive communis; et enim regula generalis est quod juramentum vergens in praedictum tertii, non obligat, quia includit injustitiam. Sic Reiffenst. ad tit. 24, ex de jurejur., § 3, n. 90 et 91.

Quando vero lex civilis principaliter fundatur super favore privati, licet secundo, et in consequentiam respiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum in contrarium praestitum valet, atque obligat. Sic alienatio rerum dotialium secundum leges est prohibita, ac invalida. Si tamen eam mulier sine vi, et dolo, juramento suo confirmet, istud erit observandum, ne via perjurii aperiatur. Nam finis primarius seu principaliter intentus illarum legum civilium est bonum particulare mulierum, utpote quibus expedit salvas habere dotes suas, quamvis secundo inde sequatur bonum reipublicae. — Deinde, licet secundum leges civiles, pactum, quod filia dote contenta, patri ab intestato non succedat, non valeat, et ita ipsa succedere patri non prohibeatur; si tamen accesserit juramentum, omnino servari debet. Reiffenst., ibid. n. 93.

(81. His ita explicatis, ad majorem in hac materia explanationem, sequentes regulas subnectere juvat.

Regul. I. — Juramentum observandum est, et obligat, quoties sine dispendio aeternae salutis et sine alterius praedictio servari potest. Regula generalis et certa: cap. Cum contingat, 28, ex. de jurejur.; et Quamvis 2, de pact. in 6.

Regul. II. — Nec pro vitae propriae, vel alterius conservatione, nec in favorem fidei, commissum perjurium a lethali peccato labe immune est.

Haec regula Conc. Constantiensis et Martini V pontificis Maximi auctoritate firmata est. Illi namque omnes, qui in suspicionem errorum Joannis Wiclef et Joannis Hus venissent, inter alia interrogandi erant: « Utrum credant, quod perjurium scienter commissum ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitae propriae vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum. »

Regul. III. — Suscipere potest Christianus juramentum illius qui per falsos deos juraturus est, eoque uti, imo et jusjurandum ab eo exigere, quem ita juraturum non dubitat, intellige ex necessitate aut justa causa. N. Alex., Theol. dogm. mor. de juram., Reg. 15. Communis.

Audiamus hac in re D. Th. qui sic habet: « Licet malo uti propter bonum, sicut et

Deus ulitur, non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos deos juret. » 2-2, q. 98, art. 4, ad 4.

Nota, quod « paganus jurans falsum per falsos deos peccat mortaliter; non quia sit verum juramentum, cum non sit invocatio divini numinis, sed in sui existimatione; quia putat esse verum juramentum. Sicut ex conscientia erronea peccat, qui violat præceptum, quod putat habere, licet revera non exstet. Si autem postea paganus cognoscat suos deos esse falsos, non tenetur amplius ad juramentum, quia revera nullum fuit, sed solum tenetur stare promissis ex fidelitate. » Ita Felix Poteslas de juram., n. 1566.

Audiamus insuper Cornelium a Lapide ita scribentem: « Licet idololatra juret per idolum, quod non est Deus, ac proinde in re ipsa non juret, nec pejeret, tamen ex mente sua, qua credit idolum esse verum Deum, jurat et pejerat. Error enim idololatriæ, quo quis idola sua putat veros esse deos, efficit ut pejerando sacrilegus habeatur et injustus, ait S. August., epist. 134 ad Publicolam. » In lib. *Sapient.* xiv, 31.

Hoc quippe divina probant eloquia: Non enim juratorum virtus, sed peccantium poena perambulat super injustorum prævaricationem. » *Sapient.* xiv, 31.

*Regul. IV.* — Juramenta contra utilitatem Ecclesiæ præstita nullius sunt roboris.

Id clarissime probat Innocent. III, Responsum *Sicut nostris* 27, ex de jurejur. ibi: « Non juramenta, sed perjurata potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ attentantur. Mandamus quatenus ab ipsis canonicis diligenter inquiras super præmissis diligentius veritatem; et si ea inveneris esse vera, quod in damnum episcopalis juris repereris taliter attentatum, nostra suffultus auctoritate in statum debitum reduces. »

*Regul. V.* — Juramentum contra leges canonicas semper est invalidum. Assertio est communis: Suarez tom. II, de Relig. lib. II, de juram., cap. 20, n. 3.

« Duplices sunt leges Canonicæ, quædam declarativæ juris divini, naturalis, vel positivi, et de his eadem est ratio, quæ de ipso divino jure. Aliæ sunt leges canonicæ constitutivæ novi juris humani et ecclesiastici, et de his etiam est universalis assertio; ejusque ratio est, quia leges canonicæ semper inducunt in conscientia obligationem, ergo agere contra illas est agere contra conscientiam; ergo juramentum de tali actu non potest obligare. Assumptum certum est, et commune in materia de legibus. Et ratio est quia lex canonica per se primo dirigitur ad bonum animæ, et ideo in eodem foro animæ obligationem inducit. Adde vero quod, licet aliquæ regulæ ecclesiasticæ non sint rigoroze leges obligantes sub reatu culpæ, ut de regulis multorum religiosorum constat, et de aliquibus

aliis est probabile, nihilominus etiam in illis procedit conclusio, quia actus talium statutorum, regularum aut rubricarum saltem sunt meliores, et in consilio, et ideo juramentum talibus regulis contrarium plane non obligat, sicut de juramento contra consilium dictum est. » Suarez *ibidem* cit., n. 3.

*Regul. VI.* Juramentum præstitum contra jus superioris irritum est.

Id aperte liquet ex cap. *Venientes*, 19, ex de jurejur. Ubi Inn. III declarat consules, qui jurarunt intra certum tempus sententias exsequi, ab illarum executione superedere debere, non obstante juramento, si appellatione sint suspensæ: « Mandamus, en verba decreti, quatenus appellationibus ad nos interpositis deferatis humiliter et devote; cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. »

*Regul. VII.* — Non obligaris implere, si quid jurasti contra consilia evangelica: ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc., et licet peccaris talia jurando, non tamen peccas non implendo. *Communis.*

*Regul. VIII.* — Non est reus perjurii, qui ob justam et legitimum causam juramentum non implet, nempe ob melius quid, intellige de juramento vel voto quod sit Deo, vel violatis ab altera parte conditionibus sub quibus juramentum præstitum est.

Id manifeste evincitur ex jure Decretalium, cap. *Pervenit*, 3, ex de jurejur. ibi: « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat; nec tu, etiamsi scriptum promissum tuum juramento vel fidei obligatione, interposita conditione, firmasses, aliquatenus teneris, si constet eum conditioni minime paruisse. »

« Duplicem, ait Gonzales ad hunc textum, fuisse consultationem Pontifici Gregorio factam, et sic duplex responsum datum fuisse. Primum videlicet, jusjurandum de re aliqua factum posse in melius commutari. Ratio in promptu est, nam sicut creditori melius satisfactum dicimus, si integrum illi debitum persolvatur: aut si in magis pretiosa moneta illi solutio fiat, sic et Deo satisfactum melius dicimus, quando quod illi pro anima et peccatorum redemptione offerimus, in meliori opere persolvimus. Secundum responsum Gregorii spectat ad juramentum, non Deo, sed parti præstitum, quod ea non implente, imo frangente, impune violari potest, » n. 1.

« Juramentum, sic Barbosa, qui in melius commutat, non illud frangit. Item qui jurat facere aliquid interposita conditione, si altera pars non implet conditionem, ipse non tenetur servare juramentum. Notatur ad hoc quod perjurii reus non est, qui jusjurandum propria auctoritate commutat in melius; nam eo ipso est Deo magis acceptum et gratum, si tamen confirmet præmissionem factam homini, non potest quis, absque consensu expresso, vel tacito ejus, cui est facta promissio, in melius commu-

tare; in idem est Sanchez, ubi dicit textu in præsentem loqui de voto, cum enim Deus sit creditor, potius rem meliorem acceptat, secus in promissione homini facta. » Barbosa, Collect. DD. in 2, Decret. cap. *Pervenit*, 3, de jurejur., num. 1 et 2.

*Regul. IX.* — Quæcunque juramenta verunt in deteriorem exitum servanda non sunt, nec reus est perjurii, qui illa violaverit.

Notatur hæc regula can. *Si aliquid*, caus. 22, q. 4, ibi: « Si aliquid forte incautius nos jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, illud consilio salubriore mutandum noverimus. »

*Regul. X.* — Juramentum, si sit contrarium alteri juramento licite facto, non est servandum.

Ad intellectum hujus regulæ distingue: « si juramentum alteri opponitur in actu jurandi, puta si jurasti non amplius jurare, et postea jures, v. g. jejunare, teneris ad jejunium, quia secundum juramentum est tunc de materia licita, quamvis peccasti jurando. »

« E converso juramentum secundum est nullum si opponatur priori in materia jurata, quia tunc esset de materia illicita. Hinc, si jurasti matrimonium Cajæ, imo etiam si simpliciter promisisti, ut docet Sanchez de Matr. l. c., disp. 50, n. 2, et postea jures Titia, hoc secundum non obligat, etiamsi postea Caja remittat promissionem, ex regula: *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*, de Reg. jur. in 6. Notat tamen La Croix cum Sanchez, Tamb. et communi, quod si contractus posterior juratus impleatur, validus est quamvis illicitus; quia per juramentum non invalidatur actus, qui alias valide fieri poterat. » D. de Ligorio de juram., n. 179.

*Regul. XI.* — Si jures, rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut indifferentem, quæ nec ex fine, nec ex circumstantiis coonestatur, nulla inducitur obligatio ad ea præstanda, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum ac otiosarum. *Communiter.*

« Ubi nota juramentum non convalescere, etsi talis res illicita et vana, postea, mutatis circumstantiis, fiat honesta, cum juxta Reg. 48, jur. non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. » Apud D. de Ligorio, l. cit., n. 176.

Nota secundo Barbosam cum Abb. pluribusque aliis, hanc ex cap. *Quanto*, ex. 18, de jur. jur., deducere regulam nempe: « Qui scienter jurat rem illicitam peccat, et juramentum non tenet, quia non debet esse vinculum iniquitatis; qui putans rem esse licitam, jurat, debet servare juramentum in eo in quo licite servari potest, quia fuit licitum, ideo est servandum; si vero rem putans illicitam, juravit, et est res licita, peniteat de peccato et servet juramentum. » Collectan. DD. ibi, n. 1.

*Regul. XII.* — Obligatio juramenti tollitur, si res jurata fiat postea impossibilis, vel illicita ob superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ad intentatum finem, vel noxia

ei cui promissa est. *Communis.* Antoine de juram., q. 9.

Idem dic, si res, mutatis circumstantiis, aliter se exhibeat, puta parentes, qui juraverint se punituros liberos, heri famulos, non tenentur eosdem punire, si corrigi parati veniam petant, ob mutatum statum rei; et juramentum comminatorium (de quo hic) hanc habet conditionem tacite intellectam, nisi sit melius non servare: nisi punitio inutilis sit. Hinc si punitio, si qua forte digni sint, videatur plus ob futura quam profutura, non tenentur eos punire, et in his casibus juramentum non obligat. Antoine de juram., q. 9, n. 1.

*Regul. XIII.* — « Obligaris ex juramento, etsi sit errore aut dolo extortum, si dolus, vel error versetur tantum circa circumstantias accidentales non magni momenti; nam si versetur circa substantiam, ut, v. g., si anulum te daturum alteri jures, putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitio non jurasses, non obligaris. » Sanchez. Suarez, Apud D. de Ligorio de juram. n. 173, 3.

« Sed dubium est num sit de se sufficiens illa mutatio, etiam non notabilis, qua tamen prævisa ille talis juramentum non emisisset? Prima sententia affirmat ex. » D. Thom. in 4, dist. 48, q. 1, art. 3, qui sic docet: id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret. Ratio, quia intentio se obligandi vel deest, vel sic interpretatur. — Secunda sententia tenet non sufficere, quia obligatio non est desumenda ex promissione quæ in futurum non fieret, sed ex illa quæ jam facta est. Ita Suarez, Sanchez, Salmat., etc. Merito tamen dicunt non posse negari probabilitatem primæ sententiæ. Imo ipsimet Salmat. censent illam esse notabilem mutationem, quæ si a principio cognita fuisset, jurans non promississet, quod utique cum prima sententia cohæret. D. de Ligorio de juram., n. 187.

*Regul. XIV.* — Juramentum promissorium eadem habet conditionem, eodemque modo explicandum est quo promissio, vel propositum cui est annexum.

Ratio est, quia accessorium sequitur principale, ideoque, quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum, v. g. Titius, qui cum juramento promissit nuptias Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, etc., non tenetur stare juramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, et quamvis etiam per vim fuerit carnaliter ab aliquo cognita; ex Barbosa Collect. DD. in 2 decret., cap. *Quenadmodum*, 25, de jurejur., n. 11, vel infamiam, quia promissio ipsa non obligat eo casu. Apud D. de Ligorio, n. 180.

*Regul. XV.* — « Teneris implere, nec potest commutari in aliquod opus melius, si aliquid jurasti in utilitatem, aut gratiam alicujus, dummodo sit honestum, et sine peccato impleri possit. Unde, v. g., alumnus qui juravit se servitutum principi, aut huic, vel isti ecclesiæ, etc., non potest ingredi religionem, sine relaxatione. Excipe tamen si